



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 28. Sessio septima. Euctyches comparet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

ma vice ad nos reversus, non indicasti? Sæculum V. A. C. 448.
 Theophilus respondit: nihil aliud nobis
 mandatum fuerat, quam citare Eutychem,
 hinc inutile fore credidimus, de re alia,
 quam quod nobis imperatum fuerat, re-
 ferre.

Postquam Mamas advenit, ea, quæ
 Theophilus modo edixerat, ipsi prælecta
 sunt, quibus auditis, ait: cum, a Concilio
 missi, ad Eutychem venissemus, mens nobis
 neutiquam erat, de talibus mentionem in-
 ferre; ipse vero sua dogmata promere, &
 disputare cœpit; nos humanissime virum
 corripiebamus; sed dicebat, Verbum In-
 carnatum venisse, ut Naturam Humanam,
 lapsam, repararet. Illico resumpsi: quam
 Naturam? repetiit: Naturam humanam.
 Dixi: at vero per quam Naturam, Natu-
 ra humana reparata est? respondit: non
 didici ex Scriptura in Filio duas Naturas
 dari. Reposui: etiam ex SS. Scripturis
 non didicimus Filium Consubstantialem,
 sed ex SS. Patribus, qui Scripturas opti-
 me intellexerunt, & fideliter explicarunt.
 Dixit Eutyches: de Natura Divinitatis
 non disputo, & duas Naturas non admitto,
 avertat Deus! Hic sum! si me deponant,
 Monasterium meum Sepulcrum mihi erit.

§. XXVIII.

Sessio septima. Eutyches comparet.

Constituto tempore, nempe die Lunæ,

Ff 5

22da

Sæculum V. 22da Nov. Septimam, quæ ultima fuit
A.C. 448. Sessionem celebrarunt. Congregatis Pa-
 tribus, Asterius Presbyter, & Notarius,
 dixit, Episcopum Eusebium ante fores
 stare. Flavianus dixit: *ingrediatur!* &
 subjunxit: *Diaconi Philadelphius, & Bo-*
rillus, circum Ecclesiam perquirant, ut
Abbas Eutyches, sicut promiserat, adve-
nerit. Statim regredientes dixerunt,
 se in tota Ecclesia quæsivisse, & nec ipsum,
 nec quemquam ab ipso missum, invenisse.
 Flavianus secundo misit Diaconos Cris-
 pinum, & Jobianum, qui eum quærerent.
 Ubi redierunt, dicebant, se quidem ipsum
 non invenisse, sed comperisse illico adfu-
 turum, valido Præsidio stipatum. Expe-
 ctante Concilio, Joannes Presbyter, &
 Defensor intravit, dicens: *Eutyches ad-*
venit, quem magna militum, & Monacho-
rum cohors, atque Præfecti Prætorio Do-
ces comitantur; nolunt permittere, ut ad
Concilium ingrediatur, nisi polliceamur,
nos ipsum reddituros. Magnus quoque
Silentiarius, ante fores est, & tanquam
Imperatoris Legatus admitti petit. Fla-
 vianus dixit: *ingrediantur.* Ubi igitur
 p. 219. admissi sunt, Silentiarius prompsit, legit-
 que Mandatum Imperatoris, quo vole-
 bat, ut Patricius Florentius ad conser-
 vandam Fidem Concilio interesset. Au-
 dito hoc Mandato, Concilium bis terve
 exclamavit, *Gratias agens, & vota pro*
 longa

longa Imperatoris vita concipiens. Ex his colligendum, ejusmodi acclamationes nudam fuisse Cæremoniam; quandoquidem nihil magis certum, quam quod istud Mandatum Patribus molestum acciderit. Concesserunt tamen, consentiente etiam Eutyche, ut Florentius adesset, misitque Flavianus Silentiarium, qui eum introduceret.

Florentio præsentate, in medium Congregationis adducti sunt Actor, & Reus; & ambo stabant. Tum Aetius, Diaconus, & Notarius Acta, quæ hæcenus conscripta erant, legere jubetur. Ubi legendo pervenit ad illum locum, quo S. Cyrillus, ad Orientales scribens, duarum Naturarum distinctionem docet, Eusebius Doryleensis lectionem interrupit, dicens: *Iste hanc Doctrinam negat, & contrariam tradit.* Patricius Florentius dixit: *si Tuæ Sanctitati placet, interrogetur Papa Eutyches, an istud fateatur.* (*) Eusebius dixit: *patere, ut omnia Acta legantur, mihi ad eum convincendum sufficiunt; etiamsi modo revocaret sententiam, id causæ meæ neutiquam noceret. Malas ejus artes pertimesco; ego pauper sum, Relegationem mihi minitatur, ipse opulentia valet, Oasin mihi in Exilii locum destinat.*

S;.

(*) Hic Abbas Papa appellatur, sed a Viro Sæculari.

Sæculum V.
A. C. 448.

Sæculum V. *Si calumniator habear, Dignitate mea pre-*
A. C. 448. *vabor.* Flavianus securum esse iustum,
 quidquid responderet Eutyches, ipsi no-
 xæ non futurum.

Deinde dixit ad Eutychem: *audisti,*
 p. 223. *quid Accusator tuus dicat; ergo palam*
profitere, an duarum Naturarum conjun-
ctionem credas. Eutyches dixit: *ita dua-*
rum Naturarum. Eusebius: *an duas Na-*
turas confiteris, Domine Archimandrita!
post Incarnationem, & quod JEsus Chri-
stus nobis secundum Carnem consubstantia-
lis sit, vel non? Eutyches, ad Flavianum
 conversus, respondit: *non veni, ut dispu-*
tem, sed ut, quid sentiam, Tuæ Sanctitati
aperiam; id in hac charta scriptum est,
fac, ut legatur. Flavianus: *Tu ipse le-*
ge! Eutyches: *non possum.* Quare non,
 inquit Flavianus, *estne hæc expositio tua,*
vel alterius? si tua est, ipse lege! *Mea*
est, dixit Eutyches, & Expositioni SS. Pa-
trum consentanea. Flavianus: *quorum*
Patrum? ipse tuam mentem explica! cur
tibi opus sit charta? Eutyches: *Hæc est*
Fides mea. Adoro Patrem cum Filio, &
Filium cum Patre, & Spiritum Sanctum
cum Patre, & Filio. Confiteor ejus Ad-
ventum in Carne, assumpta ex Carne San-
ctæ Virginis, & propter nostram Salutem
hominem perfectum factum fuisse. Hæc
confiteor in Præsentia Patris, & Filii, &
Spiritus S. & Tuæ Sanctitatis.

Flavia-

Sæculum V.
A.C. 448.

p. 226.

Flavianus: *an confiteris, eundem Jesum Christum, unicum Dei Filium, esse Consubstantiali Patri secundum Divinitatem, & Consubstantialem Matri secundum Humanitatem?* Eutyches: *dixi jam, quæ sentio, quid ultra interrogas?* Flavianus: *an hodie confiteris, quod in Jesu Christo sint duæ Naturæ?* Eutyches: *quia Jesum Christum scio esse Deum meum, & Cali, terræquæ Dominum, in hoc usque tempus nunquam ausus sum, ejus Naturam scrutari; quod autem nobis sit Consubstantialis, in hunc diem non dixi; fateor.*

Eutyches.

Flavianus: *an non profiteris, eundem esse Consubstantialem Patri secundum Divinitatem, & nobis secundum Humanitatem?* Eutyches: *buc usque nunquam dixi, quod Corpus Domini, Dei Nostri, nostro Consubstantiale sit, sed dico, Sanctam Virginem ejusdem nobiscum esse Substantiæ, & Deum Nostrum de Ea Carnem sumpsisse.*

Basilus, Episcopus Seleuciensis, dixit: *Si Mater Christi nobis consubstantialis est, etiam Christus est, nam Filius Hominis appellatus est.* Eutyches: *quia hæc modo affirmatis, in omnia consentio.* Patricius Florentius dixit: *cum Mater nobis Consubstantialis sit, certe etiam Filius.* Eutyches: *buc usque hoc non dixi, nam quia affirmo, Corpus ejus esse Corpus Dei (attende, quid dicam) non ideo etiam affirmo, Corpus Dei esse Corpus Hominis,*
sed

sed

Sæculum V. *sed Corpus humanum, & Dominum, et*
A. C. 448. *Virgine esse incarnatum. Si id que*
addendum, Jesum Christum nobis
esse Consubstantialem, etiam hoc conce-
do; antebac quidem id non admittebam.
Flavianus: ergo ex Necessitate, non autem
ex Mente propria, fidem confiteris? Euty-
tyches: hæc dico ex mente, qua modo sum.
Usque in banc horam non ausus sum hæc di-
cere, nam sciens, quod Dominus, sit Deus no-
ster, non existimabam, mihi licere, curro-
sus in Ejus Naturam inquirere; quia
autem Sanctitas Tua banc mihi licentiam
facit, &, quid sentiendum, edocet, hæc e-
tiam affirmo. Flavianus: Nihil innova-
mus, sed tantum Fidem Patrum Nostro-

Eutyches ju-
dicatur.

rum sequimur. Patricius Florentius di-
xit: An fateris, vel non fateris, Domino
Nostro post Incarnationem duas Naturas
inesse? Eutyches: Confiteor, quod dua-
rum Naturarum fuerit ante conjunctio-
nem, sed post conjunctionem unam tan-
tum Naturam confiteor.

227. C.

Concilium dixit: Porro necessarium
est, ut, quid credas, clare confitearis, &
anathematizes omnia illa, quæ Doctrina,
tibi modo prælecta, adversa sunt. Euty-
ches: Dixi vobis: quod antea hæc non
affirmaverim, nunc, quia sic docetis, affir-
mo, & Patres meos sequor. Sed hæc in
S. Scriptura clare dicta non inveni, & o-
mnes Patres hæc non docuerunt; si hoc
Ano-

Anathema pronuntio, vae mihi! nam Pa-
 tres meos anathematizo. Totum Conci-
 lium exiliit, & exclamans, dixit: Ana-
 thema sit! Flavianus: Sanctum Conci-
 lium dicat, quam pœnam mereatur hic
 vir, qui nec vult Fidem, missis ambagi-
 bus, confiteri, nec Concilii sententiam hu-
 militer sequi? Seleucus, Episcopus A-
 maseenses dixit: Deponi meretur, sed, si
 vis, potes, eidem indulgere. Flavianus:
 Si culpam fateretur, & errorem damna-
 ret, venia dignus videretur. Florentius:
 An dicis, duas esse Naturas, & Jesum
 Christum nobis esse Consubstantialem? e-
 loquere! Eutyches: In S. Cyrillo, & S.
 Athanasio legi, ipsum duplicis esse Natu-
 ra ante conjunctionem, sed post conjun-
 ctionem, & Incarnationem non amplius
 duas Naturas, sed unam affirmant. Flo-
 rentius: An duas Naturas post Conjun-
 ctionem confiteris? edic! Eutyches: S.
 Athanasium prælegi jubete! videbitis, ip-
 sum nihil ejusmodi affirmare. Basilius
 Seleuciensis dixit: Nisi duas Naturas ad-
 mittas post Conjunctionem, utique com-
 mixturem, & confusionem affirmas?
 Florentius: Qui non admittit duas Na-
 turas, & Christum esse utriusque Naturæ,
 rectam Fidem non tenet. Tunc omnes
 Patres surrexere, clamantes: Nemo a-
 liud, quam credat, coacte confitetur. Lon-
 gam vitam Imperatoribus! annos pluri-
 mos!

Sæculum V.
 A. C. 448.

p. 230.

Sæculum V. mos! Fides Nostra semper vincit. Ob-
 A.C. 448. stinatus est homo, ut quid ultra cum conti-
 mace verba prodigis?

§. XXIX.

Eutyches damnatur.

Flavianus sententiam pronuntiavit in
 hunc modum: *Eutyches*, quondam
Presbyter, & *Archimandrita*, tam ex illis
 quæ antea, quam quæ hodie edixit, plebe
 convincitur, quod *Errori Valentini*, &
Apollinaris adhaereat, & obstinate eorum
Blasphemias repetat; eo etiam magis no-
 cens, quod *Documenta nostra*, & *Monita*,
 ut suam *Doctrinam reciperet*, contempse-
 rit; *Quamobrem stentes*, & *gementes*,
miseram Hominis ruinam, *Auctoritate*
Jesu Christi, quem *blasphemavit*, ipsum
Ordine Sacerdotali, *Nostra Communionis*,
 & *sui Monasterii Regimine*, esse priva-
 tum declaramus. *Omnibus illis*, qui ipse
 loquentur, aut *imposterum conversabun-*
tur, indicamus, ipsos quoque *Excommuni-*
cationi subjacere. Huic Sententiæ *Epis-*
copi triginta duo, *Abbates viginti*, & tu-
 nus, ex quibus octodecim erant *Presby-*
teri, *Diaconus unus*, & *quatuor Laici*,
 subscripserunt. Inter *Abbates* cæteris
 magis celebres sunt, *Andreas*, *Faufstus*,
 qui *S. Dalmatii Filius* fuisse videtur, *Mar-*
tinus, *Jobus*, *Manuel*, *Abraham*, & *Mar-*
cellus, *Acemetensium Abbas*. Inter *Ep-*
 pilco